

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

haerendo unus tecum efficiar spiritus.

Caput VI
Aspirationes ad Deum ob
eius perfectionem.

1. O dulcissime Redemptor Christe Iesu, dixisti:
nemo bonus, ^{id est,} nemo perfectus, nisi Deus; tu es
enim o Deus meus te ipso perfectus, semper per-
fectus, ex omni parte perfectus; quia tu solus
es actus purus, nihil habens admixtum poten-
tiae, quemadmodum creatura; in te enim est
omnis gradus nobilitatis, omnis gradus ex-
cellentiae, omnis gradus potentiae; verbo omnis
gradus perfectionis: et nihil est in te, quod ul-
terius perfici possit; quia omnia in te sunt
infinita, et prorsus immensa, quo fit, o ama-
tissime Deus, ut etiam infinito amore sis dig-
nus. Haec credo, haec ultro fateor, Domine
Deus meus, et tamen in tuum amorem necdum
rapior! Domine ante te omne desiderium meum
et gemitus meus a te non est absconditus?
At medullas serpentis animae meae flammis sa-
lutaribus adeo succende, ut totus tui amore
ardens te requiram die ac nocte, nec desista,
donec te inveniam.

2. Domine Deus meus sicut omnis perfectionis
es origo, sic in te ipso perfectissimus es, cum
tibi prorsus nihil desit, ut sis Deus: non
potentia, non virtus, non sapientia, aut qua-
vis alia perfectio; tuum namque esse divinum ipse
est potentia, ipsa virtus, ipsa sapientia, ipsa
bonitas, ipsa nobilitas, ipsa pulchritudo, ipsa
magnitudo, ipsa plenitudo boni et perfecti.
Ecce sanctus et talis ~~est~~ ^{est o} Sponse animae meae, vere
diligendus super omne, quod non est Deus; quis

enim, similis tibi in bonitate, in pulchritudine, in potentia, in suavitate, in opulentia ceterisque mirabilibus tuis. Ah te vivoce in animam meam o summum ac perfectum bonum mee. Da o dulcissime Deus, ut tui amore totus a me ipso deficiam, te solum sciam, et sentiam, in te solo exultem, et conquiescam.

Credo Domine Deus meus te in magnitudine immensum, in virtute omnipotentem, in bonitate summum, in sapientia inestimabilem, in pulchritudine super omnia desiderabilem, in dulcedine ineffabilem, in iudicio terribilem, in consilio incomprehensibilem, in operibus mirabilem, in splendore serenitatis tue inenarrabilem, in maiestate tua summe spectabilem. Credo te absque fine et principio aeternum, sine extensione omnia implentem, sine situ ubique presentem, nihil te superius, aut maius habentem, atque per omnem et super omnem modum cuncta, quae bona sunt, possidentem; verbo infinite perfectum. Haec credo Domine Deus, et procedens coram te adoro ac veneror te. Et quia dignus es omni amore, ideo cupio te amare, quantum sum possum, et debeo, ut tu solus sis tota intentio mea, omnis delectatio mea: Deus meus et omnia.

Caput VII

Aspirationes ad Deum ob eius immensitatem.

O quam magna multitudo magnitudinis tuae, Domine Deus! Ecce si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades; caelum quippe, et terram implet. Si hunc mundum transcendam, et te extra eum quaeram, etiam illic te inveniam; quia nihil potest cogitari, cui non presentissimus adsis. Imo licet mille mundos creaveris, hos omnes tamen maiestate tua implebis. Nullum igitur

ps. 138.

Hier. 23.